

hoc est, pone eum jugiter ante oculos, à quo, per quem, & ad quem es, cum nihil à te sis; in quo vivis & moveris; qui tecum fecit vitam & gratiam; &c. ut gratus ei sis, in ejus timore ambules, gratiam ejus retineas & porro eam, quæ tibi proposita est, consequaris, &c. quemadmodum explicatiùs dicitur v. 13. *Boreéjcha* plurale est. Neque enim *jod* nudum signum longæ vocalis est: quasi accentus in distinctione retractus *Scheva* producat. Nam ut c. iii. 9. est *libbechá* cum *Sakeph katon*: ita, si singulare esset, hîc rectè diceretur *boraachá* cum eodem accentu & simili distinctione. Non dubitamus, hîc innui nomen Patris, Filii & Spiritus sancti, & triplicem creationis nostri modum personis illis divinis proprium, quo beneficium divinum in nos veluti triplicatur. Fides enim nostra amorem Patris, gratiam Filii & communionem Spiritus Sancti jugiter commemorat. Simile est Job. 35:10. & alibi. Ratio ducitur à senectutis malo. Nam turpe est, florem juventutis Diabolo consecrare, fecem senectutis Deo servare. Ingenua obedientia est ejus, qui peccare adhuc potest. Generosa mundi & voluptatis ejus abnegatio, dum blanditur & arridet: Sera, & vix seria, quum mundus & voluptates ejus suum hominem abdicant. Parvo cum decore ad castitatem revertitur, qui à scorto repudiatur. Hanc vim argumentationis ostendunt ista verba; *antequam veniant dies mali*, qui sæpe incidunt sub senium; *quin imò appropinquent*, instent & inevitabiliter urgeant, nō singuli dies, sed *anni integri & continui*, quos *neges tibi placere*, v. 1. Huic argumento immoratur, ut demonstret, quomodo paulatim mundus se sensibus ac fruitioni hominis, ipsæq; vires se homini subducant, donec vita cum morte commutetur: innuens 1. nullis donis corporis superbiendum, 2. viribus autem, dum adsunt, ad Dei laudem utendum esse; quæ paulatim ita eripiuntur, ut earum usus revocari non possit, sed & abusus, & usûs omisio oneret conscientiam & judicium aggravet. 3. mundum, qui alioqui citò nobis nuncium mittet, maturè abnegandum esse. Hîc

aa. Ænigmaticè virium voluptatumque imminutionem proponit isto ordine:

aa. visus imbecillitatem. Eâ indigitat v. 5. per obscurationem luminis externi: & gradatim quidem. Acies oculorû obtusior indicatur obscuratione solis, ut ejus lux sit instar

K

crepu-